



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

26. Quis prior ex complicitibus debeat ab Inquisitoribus torqueri? Ex p. 4. tr.
6. res. etiam 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXIV.

An si reus his tortus, his confessus est, & revocat confessionem, sit tertio ab Inquisitoribus torquendus? Ex p. 4. tr. 6. Ref. etiam 24.

§. 1. **P**ugnantes acriter circa præsentem questionem sententias invenio, & ideo affirmativam docent Doctores, quos citat, & sequitur Petrus Binsfeldius in comment. de malef. & math. leg. 7. quæst. 1. conclus. 14 quibus ego addo Castrum Palaum in opere moralit. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 9. num. 17. Ludovicum Pegueram in pract. crimin. cap. 12. §. 12. num. 9. Clarum in praxi §. fin. quæst. 21. num. 36. Cifuentes in leg. 79. Tauri, ver. item quibus vicibus. Antonium Quevedo lib. de indic. & tortur. part. 2. cap. 7. num. 3. Gomez tom. 3. var. cap. 13. num. 8. Ambrosini. de processu inform. lib. 4. cap. 5. n. 14. Suarez de Paz in praxi crim. tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. n. 19. & Mirand. in ordine judic. tom. 2. q. 26. art. 18. concl. 1.

2. Sed negativam sententiam tenet ex nostris Doctoribus Didacus Cantera in quæst. crim. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 67. Pegna in direct. Inquis. part. 3. comment. 39. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. tortura. §. sed pone, reus postus ad torturam. Simanca in cathol. instit. tit. 65. num. 81. Soula in aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 39. num. 39. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 14. quibus adde ex Criminalistis Farinacium quæst. 38. num. 106. & Cartharium de interrogatione reorum lib. 4. cap. 1. num. 132. & 161. & Damhauderum in praxi crimin. cap. 38. num. 12. Ratio est, quia indicia prioris confessionis per penam secundæ torturæ satis purgata sunt; & licet Io. Baptista Bajardus in addit. ad Iul. Clar. quæst. 21. num. 140. asserat hoc relinquendum esse arbitrio iudicis, qui considerabit gravitatem delicti, qualitatem rei, & qualia præcesserint indicia, quæ possunt adesse esse arguentia, ut iudex recte possit arbitrari reum etiam tertio esse torquendum. Verum ego absolute negativam sententiam nostrorum Doctorum tenendam esse puto, quam piam satis esse fatentur ipsimet adversarii, ut Miranda loco citato, & in uno tantum casu consulerem DD. Inquisitores reum tertio torquendum esse, quando, ut recte observant Simanca, Soula, & Pegna ubi supra, bis levissimè fuerit tortus, & in posteriori illa confessione alia nova signa priori confessioni addiderit. Vide etiam Guazzinum tom. 2. lib. 1. defens. 30. capite 14. num. 6.

RESOL. XXV.

An Inquisitores possint torquere ex dicto unius testis minoris 20. annis?
Et quid, si adsit testimonium duorum? Ex p. 4. tr. 6. Ref. etiam 25.

§. 1. **D**e hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Inquisitore Llamas, qui pro parte affirmativa adducebat Bartolum in l. de minoribus, de quæst. in princ.

2. Verum ego tunc negativè respondi, nam unus testis tunc facit indicium ad torturam, quando est integer, & omni exceptione major; sed minor 20. annis non est integer testis, cum non habeat ætatem requisitam in l. in testimonium, juncta sua glossa, ff. de testibus, ergo, &c. & ita hanc sententiam docet Didacus Cantera in qq. crimin. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 1. num. 31. ubi etiam adducit præcticam notabi-

lem à DD. Inquisitoribus menti tenendam, & ideo hic ejus verba apponam, sic enim asserit. Vnum vidi practitari in Consilio supremæ Inquisitionis, quod etiam ex dicto unius testis minoris viginti annis, imò nec habebat decem & octo annos, ex dicto illius fuerunt capti duo homines pro hæresi, quod certè durum mihi visum fuit: præcipuè quia ultra hoc quod ille testis non habebat ætatem, erat mulier, licet verum sit, quod illi delinquentes erant ex genere Maurorum, & cæremoniæ ex quibus testificabatur, erant Mahometanæ, & sic contra eos erat præsumptio, cum essent ex illo genere, nam ex malis parentibus præsumitur contra filios, ut habetur in cap. quia verisimile, de præsumpt. Ita Cantera.

3. Notandum est tamen, quod licet, ut dictum est, unus testis minorennis non sufficiat ad torturam, sufficerent tamen si essent duo, & ita docet M. Anton. Delius in disquis. mag. appen. 2. lib. 5. quæst. 15. lit. F. quia testimonium unius si accedat aliud indicium, valet ad torturam. Sed accedens secundi minorennis testimonium, novum est indicium, ergo, &c.

RESOL. XXVI.

Qui prior ex complicibus debeat ab Inquisitoribus torqueri? Ex p. 4. tr. 6. Ref. etiam 26.

§. 1. **H**ic casus frequenter solet accidere, quia in fortilegiis, maleficiis, fuga ad terras infidelium, &c. sæpe adsumt plures complicés; igitur ad propositam questionem responderet Simanca in Cathol. Instit. tit. 65. num. 66. ubi sic asserit. Si plures ejusdem criminis socij, & participes torquendi sunt, iudex à suspectissimo debet procedere, & à quo facillimè posse scire verum, verisimilius fuerit, id est, ab eo, qui timidior, debiliior, deterior sit. Ita ille, & hoc etiam docet Peguera in praxi crimin. c. 12. §. 11. num. 5. Suarez de Paz in praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. n. 85. Villagut in praxi lib. 7. cap. 9. concl. unica. Petrus Binsfeldius in comment. de malef. & math. lib. 7. quæst. 1. concl. 9. Paulinus Berti in praxi crim. tit. 22. cap. 1. n. 1. Michaël Zanardus in direct. Theol. part. 3. cap. 91. Damhauderum in praxi cap. 37. num. 14. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. tortura. §. & nota etiam Villadiego in polit. cap. 3. num. 316. ubi sic ait. [Si el torturado ha de dar à muchos sobre el mismo delito, ha de començar por el mas viejo, o mas delicado, o menor de edad, y si ay padre, y hijo ha de confesar por el hijo, o por muger si la hay, no haviendo nada destos por el mas indiciado.] Sic ille, quod etiam docet Ambrosini. de processu inform. lib. 4. cap. 7. num. 1. Cartharius de interr. reorum, lib. 4. cap. 1. num. 208. Iul. Clar. in pract. lib. 5. §. final. quæst. 64. num. 29. Madius in tract. de sacris Ordin. cap. 36. num. 12. & alij penes ipsos, quorum opinio procedit, quando etiam torquendus sunt testes, ut observat Martilius in pract. crim. §. expedita, num. 49.

2. Non desinam tamen hic adnotare Bajardum in addit. ad Iul. Clarum ubi supra, quæst. 64. num. 93. ex Afflicto concludere, quod à quibus complicibus tortura sit incipienda, remittitur arbitrio iudicis; verum hoc arbitrium debet esse regularum à recta ratione. Hæc Bajardi opinio coincidet cum opinione Simanca, aliorumque modo, quo supra dictum est. Sed omnia supradicta advertit Guazzinus tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 19. num. 4. procedere quando inter plures torquendos vigerent æqualia indicia; secus si contra unum vigerent majora, & plura indicia, quia ab illo tortura erit inchoanda, verum hæc opinio apud me non caret difficultate.

RESOL.